

quam omnis homo cupidus rerum suarum merito debet vitare. II. Alioquin Satanæ pulvinar instruit, atq; vitiis plurimis occasionem inculentam præbet. III. Providentia Dei non excludit media ordinaria, sicut Israelitis depluebat Manna quidem, ipsi tamen exire & colligere debebant, Exod. 16. Nec ultro hoc miraculum duravit, quam cum venientes ad limina Canaan de frumentis terræ sibi victum parare possent, Josuæ 5. Sic Jacob tempore caritatis annonæ mittit filios in Ægyptum, unde frumenta adferrent, Gen. 42. IV. Otiosos illos remittimus ad formicas, Prov. 6. V. In sudore vultus tui pane vesceris, Genes. 3.

10. Unde accidat, quod Deus saepe rerum penuriam immittat?

Resp. I. Ita vult docere patientiam, ut Dei temperamento simus contenti. II. Castigat propter delicta, & poenitentiam inculcat. III. Fastidium nostrum punit, quia saepe appetitus plura, quam pat est. IV. Ingratitudinem objicit, quod saepe dona ejus inutiliter consumpsimus. V. Meruimus, quod in abundantia rerum non egerimus grates beneficio Deo. VI. Sollicitudinem malam excutit, ut proprius eum intueri discamus. VII. Laboribus nostris saepe adscribimus, non Deo: igitur aliter rem se habere, vult ostendere.

## IN LOCO DE INVOCATIONE.

### THEOREMATA.

1. Invocare dicitur, quasi in se vocare, nempe per affectum & devotum cultum, ut scribit Thomas Lect. 2 in cap. 10. Rom.

2. Homonymia est, quod notet quamvis auxiliis implorationem, Hos. 7. v. 11. In testem advocationem, Deut. 4, 26. Denominationem, Gen. 48, 16. Publicam annunciationem, Gen. 4, ult. Psal. 116, 12. Integrum cultum Christianorum, Psal. 50, 15. 1. Cor. 1, 2. Religiosam Dei compellationem, Gen. 23, 7.

3. Synonyma sunt: Adorare, sic dictum quasi ad ora, cum in adoratione civili manus osculari soleamus. Janus Drusius lib. 1. Observ. cap. 20. Ab ador derivat Priscianus, quod potissimum frumentum significat, quo Romani in sacrificiis utebantur, sic adoratio solum Dei cultum notat, cum soli Deo sit sacrificandum. Dicitur præterea clamor & gemitus ad Deum, Exod. 2, 23. Deprecatio, Eccl. 35..6. Preces,